

B. M. II, 94.
A. 19, 8.

II R
4248

IVVENEM
IN GYMNASIO PATRIO HACTENVS
OPTIME FORMATVM

X 2315830

**CAROLVM FRIDERICVM
BEHNESIVM**

ZITTAVIA LVSATVM
MENSE APRILI ANNO AER. VVLG. clb lcccxxll.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

IN ACADEMIAM HALENSEM
SE COLLATVRVM
DVM

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

PIS PROSEQVITVR VOTIS
DISSERIT BREVITER

DE PRAEIVDICIO CONSILIARIORVM ABBATIS
CAMPIDVNENSIS IN CAPITE

DE NON ALIENANDO IMPERII EOQVE
SAECVLARI

IVRE ABBATIS ABSQVE CONSENSV
PONTIFICIS ROMANI

M. CHRISTIANVS GOTTLOB PITSCHMANN
GYMN. ZITTAV. SVBRECTOR

ZITTAVIAE
STANNO MICHAELIS HARTMANNI.

Non dubito fore nonnullos, quibus hoc genere scripturæ extra oleas vagari videbor; sed erunt omnino illi, qui non nisi ex ingenio M. Petri Engelbrehti, Maximiliani I. Imperatoris olim informatoris, nihil decere viros Scholasticos putabunt præter id, quod ad controuersias de pingendis, delendis, addendisque litteris ridiculas, Criticam non veram, sed inanem de lana caprina & fatua loquismata pertinet, digni profecto, quos laudatus Imperator ita reprehendat: Wenn mein Magister Peter noch lebte, ich wolte ihn lehren Kinder lehren (a), aut quorum aures vellicaret Lutheri effatum: Wie leid ist mirs, daß ich nicht mehr Poëten vnd Historien gelesen habe, vnd mich auch dieselben Niemand gelehret hat, habe dafür müssen des Teuffels Dreck die-Sophisten mit grosser Kost, Arbeit vnd Schaden, daß ich nun genung habe auszutegen. - - Wenn ich eine Bibliotheke anlegen solte, so solten die vornehmsten drunter seyn die Chroniken vnd Historien (b) Equidem vt in aliis, ita in hac re facile peccatur. Linguarum expertes, in doctrina fidei & morum rudes, sobriæ artis cogitandi & dicendi ignaros solo Historiarum amore fieri eruditos nemo sanus aut credet, aut credi posse putabit: verum isti labori comitem dare studium Historiarum & quidem, vt vocantur, pragmaticarum, vel ideo mihi videtur laude dignum, quia eiusmodi res memoriæ facilem & promptam postulant iuuentutem. Et quemadmodum in schola non scholæ futuræque obliuioni, sed vitæ docemus, adhæc nemo, nisi in ipso hæc scientia experiatur osorem ignorantem, negabit, nullum tere eruditionis genus Historia posse carere, imprimis cum vnaquæque scientia aptius, curatius atque facilius imprimatur, si fata eius cognita habemus & perspecta. Vsq̄ adeo Icarj de grege sunt homines, qui Historiam a reliquo ac necessario in scholis labore remouentes illius loco infarcire discen-

tes,

a) Vhf. in der Kirchen-Historie Sæc. XVI & XVII Lips. 1710. 4. p. 2. e Paralipom. Vrsperg. p. 334. & Cuspiniano pag. 724.

b) v. LVTHERI Sendschreiben an die Rathsherren aller Städte Deutsches Landes, daß sie Christliche Schulen auffrichten sollen. Vireb. 1524. 4. litt. D, E.

tes, nescio quibus, artibus in triuuijs solent. A qua postrema
quo longius absun sententia, eo magis per omnem temporis
tractum, quo vna cum alijs autoritate MAGNIFICI nostri
SENATVS formaui iuuenes, nihil prius, nihil antiquius
habui, quam vt, miscens ceteris necessarijs notitiam rerum
gestarum, tam publice quam priuatim bonis opitularer
pragmatica Historia. Accidit vero tum in publicis, vbi
fata Ecclesiæ expono, tum in priuatis lectionibus, vbi Poli-
ticam, sicut dicitur, Historiam copiosius doceo, vt materia
in oculis & animis esset, quæ prolixior, quam labor in
sua momenta descriptus patiebatur, postulare explicatio-
nem. Reseruauit itaque eiusmodi res commodiori loco,
quo fausta adprecaturus in scholas regias bona cum pace
abeuntibus, & de eis agere, & affectui meo in bonos satis-
facere possem. Nam verborum lenocinijs & vbique lo-
corum collectis floribus, suauissimis nempe nugis, alijs in-
sidiari nec volo, nec debeo. Contra placet bonis displi-
cetque minime meis & mihi, vt, qui amicis deuoto voto
studeo prodesse, prosum meo ex ore pendentibus exposi-
tione earum rerum, quarum notitia vel delectare, vel iuua-
re illos potest. Disservi hinc plus iterata vice de nonnul-
lis ad Ecclesiasticam Historiam suo modo spectantibus ma-
terijs, nunc ad Politicam vt me conuertam, ille efficit, cu-
ius gratia hæc adclamatio votiua scribitur. Etenim, AMI-
CE AESTVMATISSIME, cum pridie me conuenires si-
gnificans, Te Halam Saxonum studiorum causa esse prote-
cturum, in eo eram, vt in nouis Hala ad nos delatis nota-
rem verba:

Weil des Abts von Kempten Ræthe zum Theil der
Meinung seyn, als würde bey Veräußerung der Reichs-
vnd Sæcular - Gerechtigkeiten nebst dem Kæyserl.
auch des Pabsts Consens erfodert, so hat der Reichs-
Hoffrath dem Abte rescribiret, daß er seinen Ræthen
diese irrigte Meinung benehmen vnd ihnen verweisen

mœchte, solche der Kæyserl. Autoritæt nachtheilige Principia schwinden zu lassen.

Facile præuidebam, meos data occasione ex me esse quaesituros, quæ causa, natura & finis huius moniti esset? Solent enim, vt ipse, hactenus pars illorum digna, recordaberis, mea institutione vtentes libere difficilia intellectu ita exponere atque ex me interpretationem, quanta ad eos pertinet, desiderare. Et hæc causa est, quod mecum constituerim, ex Historia repetere causas præiudicii Consiliariorum Campidunensium in capite de non alienando Imperii atque Sæculari Jure Abbatis absque consensu Pontificis Romani. Scilicet Roma huiusque amore ducti docentes suis persuadere omni conantur nisu, cum Cæsare Papam diuisum imperium habere. Quæ opinio quo iniquior est, eo clarius ostendit, Jus Inuestituræ Pontifici Romano post multa bella concessum, Concordata Germaniæ & reserua- ta Regalia Augusti non recte intellecta imperitos decepisse. Sunt equidem parum referre putantes; an Imperator Romanus iure gaudeat Inuestituræ nec ne? ideo merito a

e) in Diff. de bello inter Imperium & Sacerdotium §. 13.

DITMARO (c) notati: quod si autem omnia huc facientia in memoriam reuocare vellemus, charta nos prius quam materia dicendi deficeret. Pontificibus Romanis, quamuis sanctissimorum Patrum nomine apud sectæ suæ homines veniant, sunt tamen affectus atque quemadmodum rara avis in terris nigroque simillimus cygno ille est homo, qui nolit sua vel bona, vel famam, vel autoritatem augeri; ita plurimi Paparum occasionibus sunt insidiati, quibus sibi potentiam, ornatum & opes conciliare potuerunt. Petrus, Apostolus, quem fingunt primum Romanæ Ecclesiæ antistitem Apostolicum, carebat auro atque argento, sanare vero ægrotos & vsum pedum misero reddere valebat; nunc postremum non adeo curantes omnia auro argentoque fulgere gaudent Episcopi. Audent ta-

lia

lia cum membra, quid faciat caput eorum, Pontifex Romanus? Frustra quidem eius amici de donatione Constantini M. multa gloriantur uti ab aliis ita alibi a me (d) explosa: hoc tamen nullus negabo, Sæculo V. VI. VII. & VIII. (quibus Gothi & Longobardi per vices Italiæ maximam partem in potestatem redigebant suam ita, ut vix illud Imperatoribus, & quidem Constantinopolitanis, superesset in media, sicut vocatur, Italia, quod Exarchatum nominabant.) Papam multa in se bona deriuasse. Intererat Exarchorum, ut quo arctiora in dies fiebant eorum imperia in Italia, eo addictiorem sibi haberent Papam. Itaque plurimi ne ægre quidem ferebant, licet Pontificibus opulentiores donis & bonis vel adhuc viui vel mortis causa largissime prospicerent; & cum Longobardi superato Exarchatu in similem sententiam parcius irent, contra Papa Carolingos Reges in Francia nosset in clerum benigniores, euenit, ut sanctissimi Patres, cum Zacharia Pontifice secundum SIGONIVM (e) res pro Ecclesiæ salute & Apostolicæ sedis autoritate non tam pie quam prospere gerentes, post Pipinum Carolum M. in Italiam vocarent, imo eum, cum Longobardis superatis Romæ festum Natiuitatis Christi anno lxxx celebraretur, ipsis huius vigiliis non inuitum Papa & populus Romanus Imperatorem Romanorum salutarent. Facile est coniectu, Papam a Carolo M. pro hoc beneficio beneficium accepisse, imo vectigalia & redditus ex Exarchatu & Patrimonio Petri, ad Cæsares alias pertinentes, fortassis deriuasse in Pontificem (f): dominium autem supremum singulari Carolo M. dono Papam tunc obtinuisse ideo quoque falsum est, quia Carolus M. 1) litteras non nisi testes subiectionis a Pontificibus recipiebat, 2) clauis S. Petri & vexillum Ecclesiæ Apostolicæ sibi tradi iubebat, 3) Jus Inuestituræ h. e. Papam & Episcopos constituendi referuabat (g), imo pacto quodam decernebat, ut legatus semper Cæsaris adesset ordinationi Pontificis, huicque le-

d) in Dub. Ve.
xat. Sæculi IV.
Dub. 2.

e) p. 75. Histor.
de regno Italia
1673. f. Hanov.

f) id. pag. 46.
199.

g) Probauit hoc
elegantè C. S.
Schutzfleisch. in
Disp. Histor. Ci-
uil. 8. p. 4. seqq.
de Dimis. Imper.
Rom. e monacho
Engoltsimensi p.
277. & monacho
Reichersperg. ad
A. 774.

gato liceret controuersias nouissime ortas decidere, sum-
tibus populi Romani viuere, Proceribusq; Romanis dicere:

Per eam fidem, quam Domino Imperatori debetis, facite huic homini ju-

h) CONRING.
de Fin. Imper. L.
I. c. 10. §. 3. p. m.
65. seqq. e MSS.
quod Mathias
Flaccius primus
edidit.

stam legem (h.) Verum plura tunc Papa non postulabat egregie sibi
prospexisse arbitratus, dummodo vti re ditibus Cæsaris e gratia liceret.

Post ea, vt Carolingii Imperatores cum Carolo Caluo, Roma, vt a se sta-
ret, desiderarunt, indulgentiores etiam Carolo M. illos esse oportuit. Tan-
dem cum Germani sibi eligerent Regem Romanorum & quiuis Princeps
& Comes hæreditario nomine ditones suas in natos agnatosque trans-
ferre studeret, Pontifex Romanus istam temporum iniuriam fato adeo
felici in suum conuertit commodum, vt pro lubitu Imperatores coro-
nando hos sibi deuinciret. Hæc rerum facies erat, cum Otto M. Impe-
rator Romanus, secunda in Italiam irruptione facta, A. 1000 LXXII. Ro-
ma coronaretur. Interim vtut concesserim ad tempus BARONIO (i),

i) in Annal.
Colon. Agripp.
1624. f. ad An.
662. §. 8.

Ottonem M. tunc donasse Pontifici Romam cum Patrimonio Petri, Bo-
nonia, Ferrara, Comachio, Corsica, Parma, Regione, Spoletto, Beneuenta-
no agro &c. quamuis credere hæc nefas sit; tamen ex ipso, quod addit
Baronius, Diplomate constat, Cæsarem simul ibi monuisse: *Salua super
eosdem Ducatus* (Spoletum, Tusciam e. s. p.) *in omnibus dominatione no-
stra & illorum ad nostram PARTEM, & filii nostri SVBIECTIONE &
nostrorum posterorum.* Ita quidem est. Quemadmodum Carolus M.

opitulabatur clero, vt sibi faueret, atque in actiones & machinationes vel
Principum populorumq; superatorum animaduerneret; ita Otto M. sibi
Papam, qui tunc apud omnes sacerdotes per Germaniam atque Italiam
plurimum poterat, conciliare bonis etiam tentabat, quo eo facilius Im-
perium Romanum superioremque & mediam Italiam vi armorum in su-
am potestatem redactam retineret. Sed Pontifex Romanus nunc maio-
ra moliri incipiebat. Ottonis M. successores Romanos & horum anti-
stites, quoties vel leuiter peccarant, seuerissime puniebant timori addere
comitem amorem ignari. Accedebat Ottonis III. intempestiua gratia,
sub finem sæculi X. post tumultus Romanorum vix sopitos, quasi rem
bene gesserint, horum Episcopo decem comitatus dono offerentis (k).

k) Conring. c.
c. 10. §. 17.

Qui hunc excipiebant Augusti, superuiuebant non raro tantum ambitio-
ni, avaritiæ aliisque vitiis amicorum, qui egregie astuti Iure Inuestiturae,
ad solum adhuc Imperatorem spectanti, adeo abutebantur, vt nemo Epi-
scoporum, Abbatum reliquorumque sacerdotum reciperetur, nisi quid
familiaritas, agnatio, consanguinitas, affinitas & imprimis numi quid
pos-

posse
plebe
tria,
tur.
hæc
anfa
trim
vind
Gern
cum
mner
tenta
Episc
peren
cleru
illum
cogel
facer
impu
dam
Quic
III. I
tantu
tu au
gnita
vel n
rebus
fice, v
uerit
status
dum
rii in
uata
Cam
in Pa
ris in
batia

possent, tentasset. Quo facto, sicut Ierobeami tempore, sapius infima de plebe homunciones, artium linguarumque expertes, imo in nomine Patria, filia & spiritua sancta baptizantes amplissimis muneribus ornabantur. OTTO FRISING. (l) & autor Gest Treuir. (m) vna cum aliis hæc lucide exponunt, simulque concludunt, hanc Politicorum audaciam ansam dedisse Papæ Ius Inuestituræ, quo summa cum ignominia & detrimento animarum fuissent abusi, sibi consilio Cardinalis Hildebrandi vindicandi. Hoc vt prospere cederet, Roma persuadebat Proceribus Germaniæ, vt Henricum IV. loco remouerent & eodem modo Henricum V. se esse excepturos Episcopi minarentur: Ipse in Italia interea omnem sibi subiicere Tusciam, Mathildis simulans testamento hoc fieri, tentabat, donec Henricus V. laboris pertæsus Ius Inuestituræ A. clxxxII. Episcopo Romano Calisto concederet (n). Hoc modo Cæsari nulla supererat materia suis, quoties vellet, beneficio Ecclesiastico opitulandi; clerus propius accedebat Pontifici & sicut Inuestituram ipsi debebat, ita illum timere & venerari, imo eius ex arbitrio res in Germania turbare cogebatur; & quod primo loco fuerat dicendum, nunc vel minimus sacerdos Cæsarem, cui nullum fere in ipsum ius supererat, lædere quasi impune & Pontifici Ius non solum circa sacra, sed etiam, more quorundam Consiliariorum Campidunensium, circa profana tribuere audebat. Quicquid deinde tentarunt Imperatores in cassum abiit, atque Fridricus III. Imperator A. clxxxIII. in Concordatis nationis Germaniæ (o) non tantum Papæ Ius Inuestituræ & Annatas h. e. quoties sedes in Episcopatu aut Abbatia vacat, redditus annuos, cetera, summo cum detrimento dignitatis suæ reliquit, sed etiam præter Ius primariarum precum parum vel nihil retinuit. Est quidem extra dubium positum, Ius in Imperio rebusque Sæcularibus, quo Abbas gaudet, non deriuari in hunc a Pontifice, utique cum ipse Papa Calistus, Ius Inuestituræ accipiens, pronunciauerit (p); *electus* (Episcopus, Abbas &c.) *regalia* (dignitatem & facultatem status Imperii, bonaque Sæcularia) *per sceptrum a se (Cæsare) recipiat*; ast dum nec in solemnibus conuentibus pacifcentium olim Osnabrugi & Monasterii in Westphalia Imperatoris Romani legati singula Cæsaris Regalia reseruata nominare vel vouerint, vel potuerint (q); Consilarii quidam Abbatis Campidunensis nunc sedentis, aliquid humani sunt passi, non nisi amore in Papam ducti, falsaque Iuris Inuestituræ, Concordatorum Iurisque Cæsaris interpretatione seducti. Quamuis enim & hoc accedat, quod Abbatia Campidunensis Sæculo VIII. fundata inde a tempore Pontificis Julii

l) in Chron. passim.
m) ap. Leibnitz in Access. Histor. T. I. c. 59. p. 89.

n) LEIBNITZ. Cod. Jur. Gent. Diplom. P. I. no. 2.

o) quæ v. ap. Goldait. T. I. Constit. Imperial.

p) v. Diploma ap. Leibnitz, l. c.

q) v. LVN-DORP. T. V. L. 2. 113, 120.

AK TH 4248
r) v. PFEF-
FINGER Virri
ar. Illustr. L. 1.
tit. 15. §. 16. pag.
1276. 19.

o) PLIN. Ep.
L. 2. ep. 2.

Julii II. sub Papa sit immediate (r); hæc tamen in Ecclesiasticis subie-
ctio, hoc Ius Inuestituræ & Concordata nihil derogare Augusti autoritati
possunt, tantum abest vt Pontificis, ad quæra Sæculari in Imperio nihil
attinent, consensus in capite de alienando Iure Sæculari requiratur.
Quod erat in meorum gratiam dicendum. Dicendum nunc esset de
Tua, AESTVMATISSIME AMICE, pietate, diligentia & modestia,
nunquam qui mecum in gratiam rediisti: verum reuocabis heic olim
in lectione Pliniana a *Prænobilissimo Domino Directore* percepta (s):
Viris Scholasticis nihil esse simplicius, aut sincerius; & vti meum non
est, vt testis existam probatæ Tuæ indolis, ita potius voueo, vt in Aca-
demia, præiudiciis quæ duci non videtur, omnium bonorum iudicio is
habearis, qui spem de se conceptam impleat! Simplicissima hæc sunt ver-
ba, sed eo veriora; multa enim e suauiloquentia non raro mens pro-
dit fucata. Sincerissime tecum ago, quem recessus amantem altissimos
nunquam obseruau. Vnum doleo, Te, non quidem præiudicio inani
motum, sed ex iudicio *Prænobilissimi, Amplissimi & Iureconsultissimi*
Dn. Parentis, Dn. Jo. Friderici Behnesii, J. V. Licentiati & Iudicii Assesso-
ris apud nos meritisissimi, Patroni Optimi, imposterum a nobis aliena-
tum iri: sed remanet tamen tua indoles alta mente reposita atque tem-
pora docebunt futura, quantum in te potuerit primus, quantum scio,
Prænobilissimi Domini Parentis tui olim in Iure doctor, Illustris Tho-
masius, DEUS tecum! Sic valebis, Dabam Zittauia

Lufatorum X. Calendarum Maji

A, clō 10ccxxII,





B. M. II. 94
A. 19, 8.

II R
4248

X 2315830

IVVENEM
IN GYMNASIO PATRIO HACTENVVS
OPTIME FORMATVM

CAROLVM FRIDERICVM BEHNESIVM

ZITTAVIA LVSATVM

MENSE APRILI ANNO AER. VVLG. clō lcccxxll.



IN ACADEMIAM HALENSEM
SE COLLATVRVM
DVM



PIVS PROSEQVITVR VOTIS
DISSERIT BREVITER

DE PRAEIVDICIO CONSILIARIORVM ABBATIS
CAMPIDVNENSIS IN CAPITE

DE NON ALIENANDO IMPERII EOQVE
SAECVLARI

IVRE ABBATIS ABSQVE CONSENSV
PONTIFICIS ROMANI

M. CHRISTIANVS GOTTLOB PITSCHMANN
GYMN. ZITTAV. SVBRECTOR

ZITTAVIAE
STANNO MICHAELIS HARTMANNI.